



~~Das Jr.~~

R

26

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
**JO. PHILIPPUS**  
**S**treit, J.U.D.

EMINENTISSIMI AC CELSISIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM

ET

*ad L. imperium 3. de jurisdict.*

DISSERTATIONEM INAUGUREM

*AD DIEM II. MAJ. MDCCXXXVI.*

LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

ERFORDIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.



**I**N toto jure vix ulla est materia, in quâ ita dissentient interpretes, sicut in definitione jurisdictionis. Hauold. Tom. 5. traç. 1. Cap. 1. n. 3. idque ita est pater ex variis variorum descriptionibus. Accursius & communis Schola sic eam describit; *jurisdictio est potestas de publico introducta cum necessitate juris dicendi, & aequitatis statuenda.* Goveanus lib. 2. de jurisd. sic eam definit: *est potestas publica statuendi de civili vel criminali negotio.* Obrecht lib. I. cap. 8. n. 2. de jurisd. eam definit: *est notio Magistratui competens in decisione questionis, an jus sit, nec ne, consistens.* Alias aliorum descriptiones referunt & refellunt Obrecht did. cap. n. 45. seqq. Pau meister de jurisd. lib. 1. cap. 10. Alii existimant jurisdictionem in acceptione lata, & quatenus proxime respicit administrationem juris & justitiae, non incommodè posse definiri hoc modo: *jurisdictio est potestas publica jus de aliqua causa dicendi, vel reddendi.* Zoesius ad digesta, tit. de jurisd. n. 3. definit eam, quod sit potestas publico jure introducta cum necessitate juris dicendi, & aequitatis statuenda, ut unicuique, quod suum est ex judicis officio tribuatur. Sed sicut Jctus in L. 202. ff. de R. I. dicit, definitio in jure civili periculosa est, parum est

est enim, ut non subverti posset. Sit tamen quidquid  
sit; attamen tam rigorose regulas in jure usitatas ex-  
aminare non expedit, desumpto argumento ex We-  
senbecio ad Digesta de just. & jur. n. 14. ubi in quæ-  
stione, an Jurisprudentia sit ars vel scientia? inquit, in  
hoc argumento politico subtiliter sic discernenda non  
sunt, ergo etiam in examinardis definitionibus hæc  
ita discernenda non erunt, sed sufficit, talem dare rei  
definitionem vel descriptionem, ut ex illa intelliga-  
tur, quid per illam rem Ictus intelligere velit. Scham-  
bag. ad Rubr. quemadmodum restam. frant. Quod ex di-  
ctis descriptionibus seu definitionibus sufficenter in-  
telligitur, si singulas earum partes perlustremus. Di-  
citur enim, quod jurisdictio sit potestas neque enim ju-  
risdictionem hic accipimus pro ejus exercitio, seu  
actuali dictione juris, cum ea sit habituale quid, &  
actus primus existsens in superiori etiam dormiente:  
sed pro facultate & potentia, ad ius, sicuti casus oc-  
currerit, reddendum. Pirbing ad tit. de Offic. judic. secl.  
1. §. 1. n. 1. in fn. Et hoc valde familiare est juriscon-  
sultis, uti hujusmodi vocabulis, quæ externo sono  
actum videntur denotare, non tam actum ipsum,  
quam potius jus, seu facultatem actum illum exercen-  
di intelligent. Omnis enim actus hominis, ut legiti-  
mus sit, jus seu facultatem eum exercendi præsuppo-  
nit, quo deficiente actus perinde habetur, ac si gestus  
non esset, & ideo actus ipse, itemque jus exercendi  
illum, seu jus faciendi & exercitium hujus juris idem  
nomen accipiunt. Vultejus 2. de judic. 4. n. 449. seqq.  
Porro dicitur, quod jurisdictio sit potestas publica.  
Verum id ex ratione cause efficientis, omnis enim

( 2 ) juris.

jurisdictio vel immediatè, vel mediatè saltem emanat  
ab habente summam in Republica potestatem.  
Quod etiam verum est ratione subjecti, quia is, cui  
conceditur jurisdictio, hoc ipso efficitur persona ac po-  
testas publica omnis insuper jurisdictio, ratione finis,  
saltem ultimata ordinatur ad bonum, & salutem pub-  
licam. *Hahn ad Wesenb. ff. de jurisd. n. 4.* Quid ve-  
rò sit jus dicere? *Cujacius explicat in Comment. ad L.*  
*1. & tres seqq. ff. de eccl. lib. de jurisd.* ubi jus dicere, in-  
quit, idem est, quod jus statuere, jus reddere, justitiam  
exhibere. *Pauermeister 1. de jurisd. 11. n. 3.* jus dicere  
est dicere quod jus est, pro imperio scilicet & pote-  
state, ut dictum reddatur effectum. Alii aliter, *Hiltrop*  
*apud Pirbing dicit. §. 1. n. 1.* jus dicere, ait, est publicâ  
authoritate in quacunque causa, civili vel criminali  
cognoscendo aut deceundo jus & justitiam admini-  
strare. Jurisdictio igitur est potestas publica personis &  
causis administrandi jus suum, ac justitiam debitam;  
consequenter cognoscendi, statuendi & exequendi quid  
in causa civili, vel criminali, ex quo patet, eam esse  
duplicem. Hinc alia mixtum imperium, seu jurisdictio,  
alia imperium merum, seu jus gladii dicitur, illa in causa  
civilis locum habet, illa in criminali, & definitur, quod  
sit habere potestatem gladii ad animadvertisendum in  
facinorosos *L. 3. ff. de jurisd.* Putant quidam jurisdi-  
ctionem inspecie retinuisse nomen divisi ob sui imper-  
fectionem, sed verius videtur id factum ob inopiam  
verborum: naturâ enim rerum conditum est, ut plura sint  
negotia, quam vocabula *L. 4. præscript. verb.* & videmus  
hoc etiam in aliis juris partibus frequentari, ut unum  
membrum divideos ferret nomen generis sui. Sic ad-  
optio

optio diviurtio in adoptionem in specie & aversationem.  
§. 1. insit. L. 1. §. 1. ff. de adopt. Cognatio in cognationem inspecie, & agnationem L. 10. §. 4. ff. de grad.  
Et affin. pactum a multis in pactum inspecie & contractum, sed haec transeant. Nam utilius quæritur, quid sit id, per quod jurisdictio inspecie differat ab imperio ut sic, seu quatenus hoc abstrahit ab imperio mixto? vel quodnam sit essentialie distinctarum horum duorum generum? Discriminant aliqui haec duo per officium juris nobile & mercenarium. verum haec doctrina non videtur satis conveniens juri nostro, non quidem eo fundamento, quo eam rejiciunt Oprecht & Borerus quod divisio officii judicis in nobile & mercenarium non sit fundata in jure nostro, sed merum commentum interpretans. Nam divisionem illam sufficenter post alios firmat Sutholt *differt.* de jurisdict. apbor. 272. seqq. & quamvis ea secundum verba non habeatur in jure nostro, satis est haberi quoad rem ipsam. Sed ideo dicta doctrina displicet, quia datur jurisdictio simplex, quae exerceetur absque omni officio mercenario, ut est jurisdictio extraordinaria & voluntaria. Jurisdictio itaque inspecie & imperium comodiè possunt distingui per hoc, quod jurisdictio consistat in administratione juris & iustitiae causarum civilium sediso imperio mixto. E contra imperium consistat in administratione iustitiae, quae principaliter exerceetur per iussionem, aut coercionem de qua materia pluribus digeret ex cathedrâ occasione L. imperium 3. ff. de jurisdict. quam pro lectione cursoriâ elegit

NOBILIS ET CLARISSIMVS  
DN. JOANNES ADOLPHVS  
Auffdiener /

Perillustris Gentis Dominorum Baronum de Thüngen Li-  
nea sic Dileæ Luziana in Franconia Orientali Advocatus  
Et Gesampter Amtmann Dynastiarum Zeit-

loſi Et Weickersgruben,  
natus Ranissi in Osterlandia Saxonice Electoralis supe-  
rioritatis, Mense Novembriſ MDCXCII. Patre adhuc in  
vivis existente Dn. JOANNE HAVBOLDO Auffdiener,  
olim urbis jam nominatae poligrapho, postea vero  
rebus metallicis Saxoniciſ circuli Neustadiensis Præ-  
fecto; Matre SYSSANNA MARIA, nata MANGOLDIN,  
XXIII. ab hinc annis pie defuncta. Parentum horum  
honestorum cura educatus fuit ad omnem spectatam  
virtutem, & prius privata institutione paedagogorum  
domesticorum Dn. HEVNOLDI, PLANNICKELII,  
LEOHNHARDI, & FREVNDII uſus, postea vero Anno  
MDCCVI. Gymnasium Provinciale, quod Rudolsta-  
dii floret, frequentavit, & ibi per tres annos doctorum  
virorum Dn. M. MULLERI Rectoris, nec non Dn.  
Magistrorum BLOSSII TACKERI Correctorum hu-  
jus Gymnasii lectionibus tam publicis, quam privatim  
fideliter imbutus, Anno MDCCIX. etiam ad Acade-  
micum Gymnasium Coburgense profectus est, ubi  
tam in Theologia quam in Philosophia, jure naturæ  
aliisque studiis virum celeberrimum eodemque tem-  
pore Directorem Collegii Casimiriani & Theologiæ  
Professorem publicum Dn. D. ERNESTVM SOLO-  
MONEM CYPRIANVM, in iure Civili autem non mi-  
nus

nus inclytum Dn. D. & Prof. Publ. GIEHVLFINIVM  
nec non in Rheticis valde etiam celebrem Dn. Li-  
cent. Theol. VEERPORTEN audivit, postmodum cir-  
ca annum MDCCXV. cum perillustri Domino Ba-  
rone PHILIPPO CHRISTOPHORO DIETERICO de  
THÜNGEN, ut comes studiorum additus, ivit etiam  
ad Vniversitatem Helmstadiensem, ubi pro-Rectori  
Magnifico D. D. STIDEBVRGIO in Album studioso-  
rum relatus fuit. Hac in Universitate in Jure Naturæ,  
Civili, Canonico, Feudali, Criminali que nec non in Hi-  
storicis & Politicis viros celeberrimos Dominos JO.  
PAVLVM KRESSIVM, LEYSERVVM, ENGELBRECH-  
TIVM, utrumque GOEBELIVM, HAHNIVM, alios-  
que viros doctos audivit, peracto autem pene trien-  
nio circa annum MDCCXVIII. sese cum perillustri  
dicto Domino Barone de Thüngen etiam ad Universi-  
tatem Fridericianam quæ Halæ floret, contulit, ubi  
Mense Aprilis Pro Rectori Magnifico Dn. D. HOF-  
MANNO numero civium adscriptus fuit, & tam publi-  
ce, quam privatim, celeberrimos viros Dn. THOMA-  
SIVM, de LVDWIG, GVNDLING, HEINECCIVM,  
WOLFFIVM aliosque viros eruditos per unum annum  
& semestre tempus iterum audivit, duce autem & au-  
tore Dn. Dn. GREIFFIO Regio Flscali, ad causas in fo-  
ro perorandas se applicavit, & vita hac Academica  
etiam peracta, reversus in Franconiam supra appellatae  
perillustris Lineæ Dominorum Baronum de Thun-  
gen Advocatus & Secretarius usque ad Annum  
MDCCXXIV. fuit, deinde simul etiam ut Præfeturæ  
Adjunctus usque ad annum MDCCXXVII. rerum sua-  
rum fategit, in dicto anno MDCCXXVII. autem tan-  
dem

dem etiam munus eius Gesamten Amtmanns simul  
obivit usque ad hæc tempora, & nunc Universitatem  
hujatem accessit, & à Facultate Juridica ad consuetum  
examen Doctorandorum admitti, modeste petiit, in  
coque. Textus ex utroque jure assignatos eruditè &  
doctè resolvit, & ad quæstiones ita respondit, seque  
tam firmum ac fundatum in arte juris ostendit, ut ei-  
dem unanimi consensu ad summos Academicorum  
honorum gradus rite capessendos publica Cathedra  
aperta fuerit, in quâ proximâ die Mercurii, quæ erit  
2da Maij lectionem cursoriam ad diet. L. imperium 3. de  
jurisdic. eaquefinitâ Disputationem inauguralem horis  
consuetis, fistentem

DIVERSA DVBLIA QVIDEM  
VEXATA, ET MAXIMAM PATREM

FEVDALIA AC EQUESTRIA, PRAXI TA-  
MEN IN FRANCONIA ORIENTALI FIRMATA,  
habebit. Ad quos actus solennes Magnificus Domi-  
nus Rector, cæterique Domini Proceres & Cives Aca-  
demici perhumaniter invitantur. Publicatum sub Si-  
gillo Facult. Juridicæ I. Maij M DCC XXXVI.

L.S.

BIBLIOTHECA  
UNIVERSITATIS SACHSEN-ANHALT

754562

ULB Halle  
005 372 046

3





26

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS,  
**JO. PHILIPPUS**  
**Streit, J.U.D.**

EMINENTISSIMI AC CELSISIMI PRINCIPIS  
ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIA-  
RIUS REGIMINIS,

AD AUDIENDAM LECTIONEM CURSORIAM

ET

*ad L. imperium 3. de jurisdict.*

DISSERTATIONEM INAUGURALEM

AD DIEM II. MAJ. MDCCXXXVI.

LECTOREM BENEVOLUM HUMANISSIME  
INVITAT.

---

ERFORDIAE,

Typis JOH. CHRISTOPH. HERINGII, Acad. Typogr.

